

**AD VRBANVM VIII.
PONT. MAX.**

De Gemma Veteri BARBERINA,
& Disticho.
Dist.

AV R E A Saturni, Cereris sacra, florea mellis
Secula tribus fingis, solus at ipse facis .

Aliud.

Sidus Apis Coelo, flos orbi, gemma profundo est;
Hinc aurum, ros, mel; quid potiora petis?

Aliud .

Credideram Coelo tantum frondere Colono
Sceptra, sed Urbano Regna volucris arar,

Aliud.

Regnat Apis, funditq; fauos, & tractat aratrum
Dulce iugum, mellis secula, arnica Ceres.

Aliud

Qualia sponder ager, fudat cui mellea cultrix;
Mellea messis erit, tempora mellis eunt .

Aliud.

Quae nova melliferis ducuntur aratra iuvencis?
Haec poterunt superas scindere aratra plagas.

Aliud de tribus Apibus in Gemma.

Iam nori tergemini Hecate variata figuris
Emicat ; ast triplici Numine gemma micat.

Epigramma.

Iura poli, rerumq ; vices, legesq; Tonantis,
Arte Syracusius clausit in orbe Senex .
Maius opus! Regimen Caeli, terraeq; Erebiq;
Exiguus gemmae Circulus iste tenet.

Dist.

Gemma spopondit opes ; Apibus tamen illa Colonis
Vt potiora tibi ferret, aranda fuit.

Aliud de Ape arante.

Siste Apis; U R B A N AE quid fertis aratra volucres?
U R B A N I est superas munus arare plagas.

Aliud.

Gemma tuos praescit, tibi nempé Domestica, honorum
Mellea lustra ferens ad iuga iunxit Apes.

Aliud .

Praedia aravit Apis, flores nos legimus, Author
Seminis, hos poteras iure rogare tuo.

Emblema.

Quae Deus imposuit iuga sont sine pondere, Pondus
Ni grave quis reputet, quod quoque gestet Apis.